

fatiente et vice qualibet contrafacta, et nichilominus ipsum dadium solvere teneantur. ¶ Exceptis tamen forensibus a civitate Tergesti ementibus salem in civitate Tergesti, causa portandi vel portari fatiendi super equis curribus vel aliis animalibus vel super dorsum sive personam ipsorum vel alio modo 5 extra civitatem Tergesti, qui dictum datium solvere non teneantur. ¶ Et quod salinarii ¹⁾ laborantes salinas comunis Tergesti // etiam solvere teneantur dictum dadium pro sale quod 246 A ipsi vendent, tam de sale orto sive facto in salinis comunis quam in alienis salinis, sub nominata pena. ¶ Et quod quelibet 10 persona, que vendet salem et emerit salem in districtu Tergesti extra civitatem Tergesti ubicunque, solvat et solvere debeat et teneatur daciario supradicto, tam que emerit quam que vendet, unum sold. par. pro qualibet persona emente et ²⁾ vendente pro qualibet stario salis venditi sive empti, et quod daciarii becharie comunis Tergesti habeant eciam circa predicta 15 providere et eis adhibeatur plena fides.

Cap. IIII. Rubrica de dacio tabernarie vendendo et de forma exigendi.

Ordinamus quod dadium tabernarie vini venalis ad minimum incantetur et incantari debeat omni anno a die 20 prima mensis aprilis in antea usque ad quindecim dies, et in capite ipsorum quindecim dierum, videlicet quindecim diebus ante primam diem mensis maii, in maiori consilio Tergesti incantetur et deliveretur in dicto consilio plus offerenti. ¶ Et 25 quod quelibet persona que emerit dictum datium ipsum datium habere tenere ac exigere valeat per unum annum completum, incipiendo annum a prima die mensis madii in antea usque ad complementum ipsius anni. ¶ Et solvere debeat et teneatur 30 emptor ipsius dadii precium emptionis datii predicti in fine 246 B omnium trium mensium pro rata dicti precii, et prestare // bonam et ydoneam securitatem de solvendo, ut in statuto de venditione daciolorum continetur. ¶ Et quod quelibet persona civis

¹⁾ *salinacii.*

²⁾ Aggiunta marginale.